anime illius agitur. Nunc ergo fili audi me
et attende uerbis oris mei. ne attrahatur
in uiis illius mens tua. neque decipiaris
ſemitis eius. Multos enim uulneratos de-
iecit. et fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.
Vie inferi domus eius. penetrantes in infe-
viii riora mortis. Numquid non ſapientia cla
mitat. et prudentia dat uocem ſuam.
In ſummis excelſiſque uerticibus ſuper uiam in
mediis ſemitis. ſtans iuxta portas ciuita-
tis in ipſis foribus loquitur dicens. O uiri
ad uos clamito. et uox mea ad filios ho-
minum. Intelligite paruuli aſtutiam. et
inſipientes animaduertite. Audite quia
de rebus magnis locutura ſum. et aperientur
labia mea ut recta predicent. Veritatem
meditabitur guttur meum. et labia mea
deteſtabuntur impium. Iuſti ſunt omnes
ſermones mei. non eſt in eis prauum
quid. neque peruerſum. Recti ſunt intelligen-
tibus et equi inuenientibus ſcientiam. Acci-
pite diſciplinam meam et non pecuniam.
doctrinam magis quam aurum diligite. Me-
lior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſi-
mis. et omne deſiderabile ei non poteſt
comparari. Ego ſapientia habito in conſi-
lio. et eruditis interſum cogitationibus. Ti-
mor domini odit malum. arrogantiam
et ſuperbiam et uiam prauam. et os bilin-
gue deteſtor. Meum eſt conſilium et equitas.
mea prudentia. mea eſt fortitudo. Per me
reges regnant. et legum conditores iuſta
decernunt. Per me principes imperant. et po-
tentes decernunt iuſticiam. Ego diligen-
tes me diligo. et qui mane uigilauerint
ad me inuenient me. Mecum ſunt diui-
tie et gloria. opes ſuperbe et iuſticia. Melior
eſt fructus meus auro et lapide pretioſo.
et genimina mea argento electo. In uiis
iuſticie ambulo. in medio ſemitarum

iudicii. ut ditem diligentes me. et theſau-
ros eorum repleam. Dominus poſſedit 73
me in initio uiarum ſuarum. antequam
quicquam faceret a principio. Ab eterno or-
dinata ſum. et ex antiquis antequam terra
fieret. Nondum erant abyſſi. et ego iam concep-
ta eram. Necdum fontes aquarum eruperant.
necdum montes graui mole conſtiterant.
ante colles ego parturiebar. adhuc terram
non fecerat et flumina. et cardines orbis terre.
Quando preparabat celos aderam. quando
certa lege et gyro uallabat abyſſos. Quando
ethera firmabat ſurſum. et librabat fontes
aquarum. quando circumdabat mari ter-
minum ſuum. et legem ponebat aquis ne
tranſirent fines ſuos. quando appendebat
fundamenta terre. cum eo eram cuncta com-
ponens. et delectabar per ſingulos dies ludens
coram eo omni tempore. Ludens in orbem
terrarum. et delicie mee eſſe cum filiis homi-
num. Nunc ergo filii audite me. Beati qui
cuſtodiunt uias meas. Audite diſciplinam.
et eſtote ſapientes. et nolite abicere eam. Be-
atus homo qui audit me. qui uigilat ad fo-
res meas cotidie. et obſeruat ad poſtes hoſtii
mei. Qui me inuenerit. inueniet uitam. et
hauriet ſalutem a domino. Qui autem in
me peccauerit. ledet animam ſuam. Omnes
qui me oderunt. diligunt mortem. Sapien- IX
tia edificauit ſibi domum. excidit colump-
nas ſeptem. immolauit uictimas ſuas.
miſcuit uinum et propoſuit menſam ſuam.
Miſit ancillas ſuas ut uocarent ad arcem.
et ad menia ciuitatis. Siquis eſt paruulus
ueniat ad me. et inſipientibus locuta eſt. Ve-
nite comedite panem meum. et bibite ui-
num quod miſcui uobis. Relinquite infan-
tiam et uiuite. et ambulate in uiis pruden-
tie. Qui erudit deriſorem. ipſe ſibi iniu-
riam facit. Et qui arguit impium. generat